

§. VI. Iis, de quibus publice constat, quod semel in anno non susceperint Sacramenta Confessionis, et Communionis in Pascha, et absque ullo signo contritionis obierunt.

52 53 De obligatione suscipiendi Sacramenta Confessionis, et Communionis saltem in Paschate jam multa diximus: et circa modum denunciandi, et puniendi illos. Pro explicatione hujus §. dicam, Contumaces in adimplendo Praecepto Paschali non incurrere excommunicationem, ut perperam multi opinantur: nam *cap. omnis utriusque, etc. et ibi gloss.* nihil de hac poena loquuntur, sed tantummodo de interdicto ab ingressu Ecclesiae, et privatione Ecclesiasticae sepulturae sermo habetur Monacell. *d. T. 1. tit. 5. f. 16. n. 1.* Haec enim, ait ipse, mitior est poena, cum a divinis solummodo separet: illa etiam, quae divina non sunt, adimat, Sayr. *l. 5. cap. 1. num. 8.*

54 Admonendi tamen sunt Parochi, juxta Monacell. *d. l. n. 5.* quod qui praeceptum Paschale non implevit, si decedat antequam per edictum declaretur incursus poenam interdicti, sepeliendus est in loco Sacro, quia non subjacet poenae donec declaretur, juxta respons. *S. C. Ep. Vic. Generali Cajetano 14. Junii 1595.* nisi intermissio sit notoria, vel adsit statutum Synodale in contrarium. *S. C. Ep. in Baren. 15. Decembris 1596.*

§. VII. Infantibus mortuis adsque Baptismo.

55 56 57 58 Quamvis a Parentibus Fidelibus progenti sint, et omni actuali culpa immunes, attamen in numero Infidelium computantur Infantes non usum rationis habentes, qui sine Sacro Baptismo decedunt: eo quia nondum per Januam Sacramentorum ingressi sunt in Ecclesiam: ideoque cum non communicent cum Fidelibus vivi, neque mortui communicare debent, et per hoc non gaudent Ecclesiastica sepultura: atque in hoc omnes DD. concordant. S. Carolus, *Act. p. 4.* addit etiam Infantes, si de ventre matris mortuae sint extracti: quod si in ventre matris mortuae mortui existant, tunc extrahendi non sunt, ut extra loca Sacra sepeliantur, sed cum matre sepeliri debent, quia cum ea faciunt unum, et idem, ut jam diximus in *Tit. de Baptizand. Parvulis;* et Filius est censendus pars ventris defunctae Matris.

§. VIII. Ubi vero in praedictis casibus dubium occurrerit, Ordinarius consulatur.

59 60 61 62 In hac materia dubiae sepulturae, oriri solent quaestiones, et dubitationes frequentissimae: quapropter semper Ordinarii consilium, seu decretum attendendum est. Atque in hoc casu difficultates, et dubia semper in meliorem partem interpretanda esse, nisi alias adsit in contrarium aliqua probabilitas denegandi sepulturam, habemus ex *cap. satis, extr. de sepult. et c. non aestimemus 33. q. 2. et c. Ecclesiam, dist. 1. de consecrat.* et ratio est, quia in dubiis est reo favendum, *Reg. 68. Juris in 6. favorab.* et hoc etiam si pars contraria intenta, ut non sepeliatur, appellet; cum in tali casu, appellationi dari locus non liceat, nec debeat; quia cadaver dilationem non admittit ob sui facilem corruptionem, nec est appellatio admittenda quoties res tempore perit, Samuel *d. Tr. 2. de sep. privat. contr. 8. concl. 8. n. 27. et 28.*

63 64 65 Igitur vigore hujus Rubricae monentur Parochi; ut numquam in rebus dubiis ex se ipsis resolvant, sed ad Ordinarii consilium accedant; ita enim quidquid in resolutione eveniat, Parocho nulla culpa tribuitur: Potest enim respondere: Ita factum est, Authore Praetore: eo magis quia in casibus similibus Episcopus non potest allegari suspectus, cum haec sit quaedam species defensionis Immunitatis Ecclesiasticae, pro qua habetur *Decretum S. C. in Ostunen. 20. Martii 1620.* allegat. a Monacell. *T. 3. Tit. 1. form. 6. n. 16.* Vide Musart. *Manual. Paroch. p. 2. c. 6. n. 6.*